



**Ioannis Can||tacvzeni Constantinopo-||litani Regis Contra
Mahometicam || fidem Christiana & orthodoxa assertio**

Johannes

Basileae, 1543

VD16 VD16 J 376

Filivs Et Verbv̄m Dei Cvm Devs Esset, Extremis Temporibvs Propter
hominum salutem homo factus est, crucifixus mortem subiit, sepultus
resurrexit, & in cœlos est assumptus. Non tamen diuinitas, sed ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98189](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98189)

FILIVS ET VERBVM DEI CVM

DEVS ESSET, EXTREMIS TEMPORIBVS PRO-
pter hominum salutem homo factus est, crucifixus mortem subiit,
sepultus resurrexit, & in coelos est assumptus. Non tamen
diuinitas, sed homo passus est, qui idem iudicatu-
rus est orbem uniuersum.

APOLOGIA SECVNDA.



vandoquidem tibi sufficiēter per Abrahami, Isaac & Ia-
cobi, Moſis, Dauidis & prophetarum, in primis autē, si
uerū ſateri uolumus, per ipſius Dei patris teſtimonia de-
moſtrauimus de Chriſto, quod Deus ſit uerē, & Dei fi-
lius, agetum nunc etiā reliqua, de quibus dubitas, in me-
diū proferentes, diſcutiamus & inſpiciamus. Vehemen-
ter autem nos, qui Chriſti nomen agnoſcimus, inculcas.

Tua uerō hæc ſunt. Quo nam modo fieri poteſt ut Deus homo fiat? itē, quo
modo homo factus eſt? Item, ſi Chriſtus Deus erat, & Dei filius, cur non uel
nudo uerbo ſeruauit hominem, ſed tanquā impotentia laborās hominem
aſſumpſit & mortuus eſt, ut hominem ſaluaret, iuxta Chriſtianorum ſenten-
tiam. Præterea ſi Deus erat, quomodo paſſus eſt? Deus enim non patitur quic-
quam. Et tu quidem nos inculcas, hæc loqueris: quibus nos ſic reſpōdemus.

De Dei quidem poſſibilitate & impoſſibilitate, in ſuperioribus diximus,
quæ & ſufficiunt, noſtram enim infirmitatem ſumus conſeſſi, quod Dei poſ-
ſibilitatem & impoſſibilitatem diſcernere non poſſimus. Sentimus autem &
credimus omnia apud Deū poſſibilia eſſe, & impoſſibile apud hūc eſſe pror-
ſus nihil. Tum quod homo factus ſit, cum Deus uerus eſſet, didicimus, credi-
mus, & hæc eſt horum ueritas. Quo autē modo hoc euenerit, nō noui. Quo-
modo enim humana rationi ea cognita eſſent, quæ angelis incognita ſunt?
Qui uero Dominicæ incarnationis ſcopus ſit, & quæ cauſa humanæ in Chri-
ſto naturæ, nos quantum fieri poteſt modò explicabimus: tu uero attēte hæc
noſtra audias.

Deus cū nulla re in uniuerſum indigeret, ſola bonitate ſua permotus mū-
dum uniuerſum extruxit & condidit, uiſibilem ſimul & inuiſibilem: creauit
angelos: creauit cœlum & terram, & omnia quæ in hiſ continētur. Sed & ho-
minem fecit, & formauit e puluere de terra ſumpto: & cum illi animā rationa-
lem inſpiraret, ſecundum imaginem Dei creauit eū, & ex coſta ipſius forma-
uit ſocinam: illiſq; in paradīſum collocatis, præcepit ut de omni ligno para-
diſi ueſcerentur, ex arbore autem ſcientiæ boni & mali non comederēt: quia
quacuncq; die de hac comederent, morte eſſent morituri, quemadmodū mag-
nus ille Moſes in ueteri Teſtamento deſcripſit. Quidam uero angelicorū or-
dinum princeps, cum ſeipſum ſplendidum & mire formoſum conſpexiſſet,
non intellexit ſe ſeruū & creaturā eſſe, & quod Dominus ipſum cum nullus
eſſet, condidiſſet, undē ſeruī inſtar Dominum adorare deberet: ſed ſtultus &
temerarius dixit, Ponam ſedem meam ſupra nubes, & ero ſimilis altiſſimo.
Hæc autem cum iſ in animo uoluſſet, huic commiſſa cohors illius impietate
imitata eſt, hic autem cœlo depulſus cum omni ſua militiā excidit, & hi om-

nes in dæmones mutati sunt. Cum itaq; diabolus hominē in paradiso uidisset, inuidia in illum motus, accedēs primò mulierem ceu faciliorem deceptu, aggressus est & dixit: Cur Deus præcepit uobis, ut ex omni arbore que in paradiso est, comedatis, abstineatis autem ab arbore, quæ in medio paradisi est, & quod quacunq; die comederitis ex illa, morte sitis morituri? Nequaquam enim morte moriemini, sed ne ex illa comedentes oculis uestris apertis similes ipsi dñs redderemini, cognoscendo nimirum bonū & malum, hæc prohibuit Dominus. His auditis, mulier decepta comedit ex arbore, & dedit marito suo Adam, qui & ipse comedit: diuinitatis maiestatem affectans. Et comedētes ex arbore Adam simul & Eua, à gratia exciderunt. Deus autē circa meridiem in horto obambulans dicit illi, Adam ubi es? Hic autem respōdit, Audiui uocē tuam ambulantis in Paradiso, & abscondi me, quia nudus sum. Dicit illi Deus, Et quis nam tibi ostendit, quod nudus sis? num ex arbore, de qua præcepi tibi ne comederes, comediti? Et iratus illi Dominus, eiecit eum paradiso cum maledictione. Nunc autem hæc quæ facta sunt, cōsidera. Diabolus animo elatus, & quasi ratione destitutus, cum deus fieri, & altissimo similis esse cōcupiscit, cœlo cum tota sua cohorte excidit, & ex luce in tenebras est permutatus, & diabolus: propter superbiam enim suam & animi fastum à Deo reiectus est: nec ut uos dicere soletis, in hoc creatum fuisse ut Adamum adoraret, aliorum angelorum more, qui illum adorantes seruati sunt, & in dignitate sua persistentes adhuc angeli dicuntur: hunc autem quia adorandi officiū Adamo negauerit, Dei iram in sese concitauisse, & ex angelo factum esse diabolum. Quam enim auctoritatem hæc uerba habere uidentur, præsertim cum nulla scriptura horum meminerit, nec Moses, nec propheta, nec Christus: Cum igitur omni horum testimonio careat, falsa sunt, & reiicienda. tum etiam hac de causa, quod angelorum natura simplex, pura & incorporea est, & seprā cœlos cōstituta: Adam uerò ex terra cōmixta. Quis igitur uel tantillum rationis habēs, rem tam absurdam crederet? Sed dicat aliquis, quod & Christus cum homo sit, iuxta Christianorum sententiam, ab angelis adoretur. Sed ad hoc sic respondendum. Filius & uerbū Dei cum ante sæcula Deus esset, ab angelis unā cum Deo patre suo adorabatur: & nunc homo factus rursus adoratur ab iisdem unā cum corpore, ita ut unā iam homo adoretur, quem filius & uerbū Dei assumpsit cum substantia sua, quemadmodū primitus ab angelis adorabatur: quod in Adamo fieri non poterat. Respice enim quæ sit domini & serui differentia. In homine uero, quem filius & uerbum Dei adsumpsit, illud conueniens est, decorū, iustū ac sanctum, ut etiam nunc ceu exemplo declarabimus. Regis corpus à seruis illius unā cum anima adoratur, quamuis reuera rex tantummodo quod animam attinet, & non corpus, adoretur. Et quis tam stultus ut de hoc dubitaret? Sed quid hæc de regis anima & corpore opus est dicere? Si enim in nundinis uestimētum aliquod ematur, & illo rex indutus sit, ab ea ipsa hora illud uel manu contingere nemo audebit, sed omnes illud cum timore & reuerentia inspiciunt, quamuis, quod substantiam attinet, reliquis uestibus simile sit, propter regem tamen tantum honorem sortitum est. Idem mihi de Christo uidetur. Reuera enim hominem assumpsit, nec alterius naturæ hominē, sed ipsissimam hominum naturam, quæ ex Adam est, licet ex uirgine præter naturæ leges natus sit: per diuinitatem uero eundem hominem sanctificauit, exaltauit, honorauit, & ad dextram Dei patris sui constituit, quemadmodū supra

prædemonstrauimus. Et sic omnino factum est, ut etiam antè diximus, nimirum quod sicut ferrum licet natura sua frigidum nigrumque sit, igni tamen unitur, ut hic quidem ferri frigiditatem & nigredinem non assumat, ferrum autem propter ignis coniunctionem naturam propriam non abiicit, quin potius ipsum totum ignis fit, illius nimirum calorem & splendorem recipiens. Sic etiam de Christo sensimus. Cum Deus esset ante sæcula, post hæc homo factus est, & non imminutus, quin potius diuinitate sua hominē quoque glorificauit, & in eum locum subuexit, quem filius & uerbum Dei obtinebat: & propterea iam simul adoratur ab angelis pariter et hominibus, hic scilicet qui præter naturam homo & Deus est. Adam uero in Dei ordinatione & mandato non persistens, sed ex arbore cum Eua uxore sua comedens, dum hoc modo uterque diuinitatem affectant, paradysum quoque quem habebant amiserunt, & maledictionem loco benedictionis acquisuerunt, proque uita æterna mortem. Deus autem diabolum incorrigibilem, & nulla poenitentia ductum conspicatus, tanquam uas inutile abiicit, nec ulla illius habita est memoria uel ratio. Adamum uero cum Eua longe alia ratione cecidisse uidens, non scilicet tam uana ambitione & superbia, quam diaboli inuidia & fraude: & quod homo tandem emendationem esset recepturus, quamuis antea illis maledixisset Deus, idque causa correctionis: ueruntamen ambulans in paradiso circa meridiem (ut Moses testatur) interrogauit eum dicens, Adam ubi es? Num quod ignoraret ubi nam is esset, interrogauit? Absit tanta blasphemia (quid enim apud Deum latere possit, cum omnia cognoscat, priusquam generetur?) Verum hoc sibi uoluit ista uerba, O Adam in qualem nam dignitatem subuectus es? ubi nunc agis? quale nam est, in quod incidisti, barathrum? Quid uero Adam ad hæc? Vocem tuam audiui ambulantis in horto, et abscondi me. Po meridiana autem tempus hic non aliud innuit, quam quod sicut hora pomeridiana dicitur, quæ post maximam diem partem iam exactam sequitur, sic etiam post plura tempora elapsa Deus super terram esset ambulaturus. Paradysus enim, iuxta Moysis doctrinam, locus terrestris est. Perinde igitur idemque est, siue in paradiso siue super terram aliquem esse dixeris. Quæ uero plura illa sint, de quibus hic dicitur, tempora, iam tibi exponam.

A constitutione mundi usque ad consummationem præsentis sæculi, septem millia annorum fore dicunt, uel etiam plus, quibus annis elapsis mortuorum resurrectio futura est. Ab Adam uero usque ad Christi generationem anni exierunt ter mille, noningenti, septuaginta quatuor. Reliqui igitur in absolutionem septem millium restant. Et hac de causa sancti simul & prophete dixerunt, quod in extremis temporibus. Christus esset carnem assumpturus. Vides ne igitur ut ab ipso Adam tempore, filij Dei mysterium manifestari coeperit? imò ante huius tempora. Ad quæ enim dixit Deus, Faciamus hominē? Deus enim solus & unus personæ tantum existens, cui nam hoc dicere potuit, Faciamus hominem iuxta imaginem & similitudinem nostram? Manifestò constat, quod ad filium suum uerba fecerit. Pater enim & filius unum sunt, Christo hoc ipsum in Euangelio dicere, Pater & ego unum sumus: &, Qui me uidet, patrem uidet. Quin & nos Christiani fatemur, anathema hunc esse, qui duos deos fuerit confessus, unum enim Deum esse credimus, creatorem coeli & terræ. Et Deus, ut antè dictum est, eiecit eum paradiso, & ad terram colendum constituit, quo tempore & seminauit, & alios fructus cepit producere. Iam ne intelligis, hunc qui docuit frumenti arista esse arborem hæc de qua Adā comederit, quid nam docuerit,

docuerit, ignorauisse? sed iuxta animi sui arbitrium dixisse quaecumque libuerit, qualia multa adhuc illius esse deprehenduntur. quæ conuincunt hunc secundum priuatas suas cogitationes & propria figmenta docuisse. Frumenti enim spica post exilium paradisi & maledictionem demum excreuit. Deus enim Adamo dixerat, In sudore uultus tui comedes panem tuum: unde est labore & sudore multo frumentum & seminatum & excultum est. Adam uero arborem de qua comedit, bonam & malam esse nouerat. Quid uero paradisus fuerit, & quæ nam arbor, nec Moses, nec alius quispiam prophetarum, imo nec Christus docuit, sed adhuc arcanum & incognitum est, ut & antea. Quare unde nam Mahomet hæc, quæ de frumenti spica dicit, desumpserit, non uideo: sed cogitationis suæ figmenta sunt. Homines enim nactus indotios rudesque, nihilque ferè à brutis animalibus differentes (Arabes enim pastores sunt) ea quæ propria ratio pepererat figmenta docuit, de quibus flebimus. Non enim primarius nostri instituti scopus est, Musulmanorum iniquas & erraticas confutare opiniones, sed tantummodo augustâ illam, sanctam, iustam & honestam Christianorum religionem exponere. Quare redeundum ad id, unde digressi sumus.

Cum Adam filios genuisset & filias, & ipsæ similiter filios & filias progenerentibus, humanum genus super terram multiplicatum est. Sed Adam cum Eua sua, quamuis seducti à diabolo, dum diuinitatem affectant, paradysum quoque quæ habebant amisissent, nihilominus tamen Deum adorauerunt, creatorem & factorem suum. Horum autem posterius cum à ueritate deflexissent, inciderunt in nefanda scelera, opera horrenda didicunt, & peccata ipsarum naturæ leges excedentia, quæ uirum bonum nec nominare quidem decet. Nec tantum in hisce prauis multisque, ut diximus, peccatis peccauerunt: sed relicto etiam Deo cœli & terræ creatore, adorauerunt creaturas, & creaturam plus quam creatorem coluerunt. Hi enim solem adorauerunt, illi lunam, alij stellas, & hæc omnia ipsius Dei nomine dignati sunt. Et quemadmodum in tenebris profundis ambulantes, ea quæ ipsis propinqua sunt non uident, alia uero quæ nusquam sunt, esse imaginantur, ita & illis contigit. Longius enim à uera luce digressi, & in tenebris ignorantia ambulantes, Deum quidem uerum auersati sunt, & idola coluerunt, & in ipsædem latati sunt. Et Aegyptij quidem bouem adorabant, & aquam: Africani ouem, Indi uinum, alij fluuios & fontes, alij statuas erexerunt, & stulti manuum suarum opera pro dijs coluerunt. Desino enumerare singularum regionum errores, propter infinitam copiam. Ex his enim ceu particularibus, unusquisque reliqua quoque cognoscere poterit. Verumtamen non eò usque tantum illorum uacordia processit, sed & Scythis mos erat Deo suo eos qui ex naufragijs saluati erant, immolare, quotquot saltem deprehendi possent: sicque quos propria seruauerat solertia, illorum trucidabat crudelitas. Alij rursum homines bello captos numerantes, è centenis singulis unum immolabant. En tibi cædes, & crudelitatem omnibus brutis & feris ferociorem. Nullum animal cum generis sui consorte pugnat, nec illud perdit: hi uero ipsis feris longe immaniores esse conuincuntur. Non enim peregrinos modo & alienigenas occiderunt, uerum etiam fratres & sanguine iunctos. Cretenses enim & Phœnices, cum corda haberent are duriora, demonibus proprios filios & filias sacrificabant. Cæterum priusquam hæc fierent, diluuium Noë temporibus inundauit, & aquis submersa est omnis anima

anima uiuens, tam hominis quam omnium aliorum animalium, uolatilium & quadrupedum, propter peccata, quae tunc temporis inter homines esse deprehendebantur: seruatae aut sunt in arca non plures quam octo animae, Noë scilicet & uxor illius, tres filij ipsius, & uxores eorum. Noë uero singulorum animalium genus in arcam induerat. Deus aut optimus & benignus denuo precepit humano generi, Crescite, multiplicamini & implete terram: similiter & animalibus. Sed rursus ad impietatem delapsi sunt homines, quam modo per partes exposuimus. Melchisedek uero, Abraham, & Loth illius ex fratre nepos, Dei altissimi cultores se esse declarauerunt: totus aut mundus diabolo seruiuit, et idolis. Deus itaque benignissimus cum uidisset nobilem illam creaturam suam, genus humanum scilicet diaboli tyrannide pressum, qui uiuentes quidem fascinoaret & deciperet ut ipsum ceu deum colerent, mortuorum uero animos in tristi & obscuro inferno detineret, misericordia ductus, salutem dare uoluit. Modum itaque quo humanum genus ad salutem peruenit, diligenter percipe.

Ipse quidem homo seipsum iuuare non poterat, partim quidem quod non uellet, sed quod uoluptates summi boni loco duceret (in tantum enim erroris inciderant a malo & excecati) partim uero, quod rerum Deum ignoraret; seruiret autem idolis & demonibus, & in tenebris ignorantiae desidens Deum non agnoscebat, sed in hostis permanebat captiuitate. Quin & hoc concedimus statuisseque, quod animaduertunt quidem in quantum malorum barathrum incidissent: sed quomodo seipsos iuuarent, qui maiorum suorum Adamique nempe maledictione tenebantur: & quo modo immortales redderentur, qui mortem ceti hereditario iure acceperant? Omnes enim ex Adam geniti, mortales facti sunt, propter Adam patris ipsorum transgressionem. Quoniam igitur homo aut ignorauit de quanta sublimitate & magnificentia excidisset, & in quantum delapsus esset ignominiae barathrum: aut hoc forte cognito, sibi ipsi tamen subuenire non poterat, periculum iam erat, ne peccato semper nobis praesenti, mors etiam omni homini dominaretur. Illud igitur Dauid perspicax dixit, Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis in sapientibus, & illis similis est factus. Deus uero humani fautor generis misericordia motus, imaginem suam ulterius diaboli imperio premi non permisit. Incepit igitur ab Abrahami temporibus reuocare & restituere hominem. Cum enim Abraham genuisset Isaac, & hic Iacobum, Iacob autem duodecim filios eius, undecim ex illis aduersus fratrem suum Ioseph inuidia moti, eum ligauerunt & demiserunt in cisternam, & tandem Aegyptios quosdam nacti, uendiderunt. Hi uero Iosephum in Aegyptum abductum dederunt Pharaoni, qui eum totius Aegypti dominum constituit. Exorta autem fame descenderunt Iosephi fratres in Aegyptum, ut inuenerent alimenta. Ioseph uero cognitis fratribus suis, eos aluit, oblitus commissi ab illis aduersum se facinoris, aduocato simul ad se patre suo Iacob. Sed hic typus erat Christi. Quemadmodum enim Ioseph a germanis suis fratribus damnum malumque accepit, sed huius immemor bonum pro malo rependit fratribus in se iniurijs: sic & Christus inuidia uexatus a popularibus suis ludais, ligandus erat, & in sepulchrum ceu cisternam deponendus, & tradendus morti. Sed quemadmodum Ioseph Aegypti dominum consecutus, patrem & fratres suos a morte, per famem illis imminente, liberauit: sic & Christus cum portas mortis contriuisset, & dissoluisset diaboli imperium,

psalm. 48.

Gen. 37.

seruauit credentes in ipsum ex Iudæis & gentibus, quin & ipsum primum parentem Adam. Et Iacob, ut dictum est, Aegyptum ingressus cum animabus septuaginta quinque, mansit illic usque ad tempus mortis suæ. Retenti uero sunt illic posterii eius annis circiter quadringentis & triginta, seruientes Pharaoni & Aegyptiis seruitute tristi & lucifica. Post hæc autem Deus misso Mose eduxit & liberauit eos ex seruitute Pharaonis & Aegyptiorum, cum ederet eis miracula et prodigia magna in Aegypto, & educeret ipsos per mare rubrum diuisis & scissis fluctibus, Pharaonem autem cum omni suo exercitu demergeret. Iudæis autem longo tempore in deserto commorantibus, Deus manna dedit. hi uero murmurabant, & uerbis suam prodebant ingratitude. Moses autem illos admonere non desijt. Cum uero hicin montem Sinai ascendisset, legem à Deo accepturus, Hebræi, qui prius ingratii & murmuratores fuerant, etiam impij facti sunt. Dicunt enim Aaroni fratri Moysi, fac nobis Deos, qui præcedant nos. quid enim Moysi illi, qui nos eduxit Aegypto contigerit, nescimus. Et aurum quantum sufficebat corrugantes, fecerunt imaginem uituli, & huic tanquam Deo ab illis recepto sacrificauerunt. & in tam absurdo lætati sunt facinore. Moses uero reuersus, tanto scelere uiso confregit acceptas à Deo legis tabulas. Et dixit Deus, Delebo genus ipsorum, & constituam te regem super gentem magnam & populosam. Ille uero noluit, sed Deum multa obsecrans hortansque intercessit pro illis: & non deleti sunt. Obserua igitur nunc, Deum non de his locutum esse ad Abraham, cum dicit, In semine tuo benedicentur omnes gentes: sed de Christo. Mose autem pro Hebræorum populo intercedente, sex illis denuo data est. & tunc Deus ad Hebræos per Moysen locutus est: Ego sum Deus prius, & Deus in futurum, et post me Deus alius non est. Hæc igitur ita se habent quemadmodum Deus locutus est, et præcepit. In literis uero tuis hocce magna accusatione dignum contra nos, qui Christiani dicimur, continetur, quod Deo dicente, Ego sum Deus solus, & diuinitatis consortem non habeo, nos tamen dicamus Christum deum esse, & Dei filiū: unde etiam multos deos adoremus. Cæterum anathema sit, quisquis uel duos uel tres plures uel deos adorauerit: nōs uero unum Deum uerum adoramus, creatorem cœli & terre. Deus enim Hebræis præcipiens ne posthac idolorum cultui inservirent, dixit: Qui idolis credunt, multis dijs credunt. Christiani uero, quæ recta sunt sentientes, uni Deo credunt, & non multis. iuxta Christi doctrinā quam in Euangelio tradidit, dicens: Ego & pater unum sumus, & qui me uidet, uidet patrem meum. Vos autem cum scripturas ignoretis, à ueritate exciditis: & cum hoc factum fuerit, alijs auditis alia & diuersa intelligitis. Hebræi uero Deum misericordē experti, nequaquam perierunt: terram tamen promissionis non uiderunt, sed à Deo damnati, multis erroribus hinc inde per desertum circumducti sunt annis circiter quadraginta, donec omnes illi mortui sunt, ne scilicet terram uiderent, quam Deus se filijs Abraham daturum promiserat. Post obitum uero illorum, liberi horū terram promissam ingressi sunt, in qua simul bona quam plurima sunt adepti. Et hanc incolentibus Deus prophetas misit, & doctores: sed alios quidē illorum occiderunt, alios uero lapidauerunt, & seipsos ingratos exhibuerunt, & beneficiorum Dei immemores. Verū nō ingrati modo fuerunt, sed etiā perpetuò ferē idolorū cultibus dediti, et propter hoc tradidit eos Deus in captiuitatē. Denuo autē illorū misertus, eos reuocauit: eadēque de causa ultimis iam tēporibus appropinquatibus

Ioan. 10. et 14.

tibus cōplacitū illi est & decreuit, ut filius & uerbū suū in mundum ueniens saluaret hominē, quem diabolus deceptū à Deo abduxerat, ut creaturæ seruiret & diabolo. Filius itaq; et uerbū Dei cœlitus descendēs, carne ex diua uirgine Mariā assumpta homo factus est, quemadmodum suprà sanctorum & prophetarum testimonijs demonstrauimus. Et homo factus cū annis uixisset triginta, cœpit docere populum, illisq; ueritatis & iustitię uiam ostendere, docensq; operatus est, & inter operādum docuit, ediditq; miracula magna & stupenda, non quemadmodum olim nonnunquā aliquot sanctorum in nomine Dei fecerūt ceu serui, sed cū imperio & auctoritate fecit & operatus est quaecūq; fecit. Dicebat enim illi leprosus: Domine si uolueris, potes me mār dare: et dixit illi Christus, Volo, mūdare. Sic dixit illi paralyticus, Domine annis iam triginta & octo decubui, ne habeo quenquam, qui cum aqua turba ta fuerit, me in illam immitat. Angelus enim Domini descendebat certo tē pore, & turbabat aquā, in quā qui primus descēderat, sanus reddebāt, à quo cūq; morbo, quo laborauerat. Cum itaq; paralyticus infirmus hominumq; destitutus auxilio, illic iuxta piscinam per annos triginta & octo decubuisset, illum uidēs Christus, misertus illius dixit ad eum, Vis ne sanus fieri? Hoc uerbo Christum adorante, & credente, dicit ad eum Christus, Tolle lectū tuū, & abi in domum tuam. Similiter faciebat ubiq; quocūq; locorū incederet. Cæcos sanauit, uisumq; restituit, surdis auditum reddidit, claudos incedere fecit, paralyticos neruis firmis & uiuacib; confirmauit, mortuos resuscitauit, dæmoniacos auctoritate summa liberauit, & ut summam comprehendam, omnia fecit instar Dei, iuxta ipsius uoluntatem & arbitrium. Venit ad illum, qui cæcus fuerat à natiuitate sua, & orauit illum: cumq; alios cæcos nudo & solo uerbo sanauisset, hūc non itē: sed in terram expuens, lutū ex spūto fecit, oculosq; illius inunxit, dicens ad illum, Abi, ablue in piscina Siloē: & cū lauisset, uisum recepit. Quid nā hoc factū denotauisse putabimus, quod alios cæcos solo uerbo sanauit, ad hunc uerò sanādum, lutū fecit? Non aliud certe, quā cū alij cæci, à natiuitate sua oculos habuerint sanos, postea oculis capti sunt: hoc uero oculis omnino carente ab ipso matris utero, lutū fecit Dominus, inueniens se hunc eundem esse, qui ē luto hominē formauerit, & huius nunc in corpore defectū luto sumpto cōpleat. Deinde dixit cæco, Credis in filiū Dei? Respondit ille, Et quis est domine ut credam in illū? (cum enim cæcus fuisset, Christum non nouerat) & dixit illi Christus, Ego sum, qui loquor tibi. Tūc dixit cæcus, Credo Domine, & adorauit illū. Similiter & milia aliquot hominū quodam die Christū erant secuti, uerbum ipsius & doctrinā audientes: & cum esuriret, non inuenerunt in loco illo plures panibus quinq; & duos pisces. Et benedixit illis Christus, præcepitq; discipulis, qui omnib; istis panes apposuerūt, de quibus comederunt omnes, & saturati sunt, & reliqui fuerūt cophini duodecim pleni panum fragmentis & piscibus. Sed quis horū sensus? Partim quidem ut edant famelici, partim uerò ut intelligāt & animo suo meditentur, hunc illum esse qui in deserto patres ipsorum manna cibauerit. Porro, homo quidam mortuus est & sepultus, cumq; in sepulchro dies egisset quatuor, defuncti sorores accersuerunt Christum. hic autem dicit illi, Lazare exi foras. Et illic qui mortuus fuerat, sepulchrum egressus est, & ambulauit, ligatus manus que pedesq; (sic enim moris erat ludæorum mortuos sepelire) & sic resurrectionis miraculo aliud illud incessus sui miraculum successit. Sed cur hæc facta? Ut cum homines uiderent hunc

Matth. 9

Ioan. 5

Ioan. 9

Mar. 6

Ioan. 12

non

non tantūmodo mortuos excitare, sed etiam hunc quatrīduanū, intelligētē hunc esse uitā & mortis dominum: & ut si Christū postea sepultum uiderēt, crederent hunc qui propria uirtute mortuos excitauisset, multo magis potestate sua suum ipsius corpūs esse excitaturū. Dicebat enim discipulis suis apostolis, Nemo tollit animam meam à me. Potestatem habeo ponēdi eam, et potestatem habeo recipiēdi eam. Quod tamen singulis diebus credentibus in Christum turbis hominum innumerabilibus, ipsumq; Deum & Dei filiū confitentibus, pontifices, scribæ, & horum principes cōtra Dei doctrinam instructi, huic essent contradicēdi, ex Esaia prophetia prædictum erat, qui dicit:

Esa. 6 Oculos habentes non uidebunt, & aures habentes non audient: incrassatum est enim cor eorum, & oculos ipsorum occluserūt, & auribus difficulter audiuerunt. Quæ prophetia omnis impleta est. Miracula enim edente Christo, tanquā cæci apparuerūt: & hoc docēte, surdis fuerunt similes, instar aspīdis surdæ & obturantis aures suas. Et tunc quidem dicebat ad illos Christus: Quod si cæci essetis, non haberetis peccatū: nunc uerō dicitis, uidemus.

Ioan. 9 Christus: Si ex Deo essetis, utiq; diligeretis me. Nihilominus tamē hæc Christo faciente, haud quaquā ad cognitionem peruenerunt, quin potius occasionē quærebant, qua eum interficerent. Sed quid attinet ad miracula ipsius, quæ in Hebræorum gēte fecit, dicere, cum infinita sint & innumerabilia? Sed nec illis editis ad cognitionem peruenerunt, uani & errabundi homines: uerum inuidia & improbitate uicti quærebant omni modo & conatu, quomodo in Christum accusationem aliquā mouere, ipsumq; benefactorem suū interficere possent. nec aliam inuenerūt, quā quod blasphemum dicerent, qui se dixisset Dei filiū, & qui cum homo esset, se Deum esse iactitaret. Et cū audirent Christū dicentem credentibus in se, Remittuntur tibi peccata tua: dicebant, quem nam te ipsum facis? & quis nam potest remittere peccata præter solum Deum? Et sanē uere dixerunt Iudæi, quod solius Dei sit peccata remittere: nam ignorantes hi miseri, quod Christus Dei esset filius, ea quæ modō diximus, dixerūt: & obtenebratum est imprudens cor ipsorum, & obcæcati sunt oculi ipsorū, nec uiderūt quod cū autoritate hæc faceret, quæcūq; faciebat. Vnus enim discipulorū Christi Petrus, quū in naui esset, Christo uiso dixit, Iube me ad te uenire super aquas. Et dixit illi Christus, Veni. Hic autē nauim egressus, aquis inambulās ad ipsum uenit. Hoc cū contigisset, quid nā aliud illos cogitare oportebat, quā quod idem ille esset, qui mare rubrum difsecuerat, & patres illorum sicco traduxerat pede, qui etiam nunc humidā natura materiam aquarū instar aride solidam solo uerbo et mādato suo fecerat? Sed quo plura his similia miracula corā uidēt, eo magis ira & furor et tumultuantur. Deinde tēpestate orta uehemētī simul et magna in mari, adeo ut nauis, in qua erāt Christi discipuli, obtegeret fluctib. magna uoce ipsi exclamauerūt dicētes, Iesu serua nos, perimus. Christus autē ipsi mari imperiose simul et cū autoritate præcipit, Tace, obmutescē: et statim facta est tranquillitas magna. Iudæi itaq; uiso hoc inopinato miraculo attoniti, magna uoce clamauerūt: Quis est hic, quod & uētī & mare illi obediūt? Verū tamē miracula uiderunt infinita, et naturā rerū exuperātia: ipsi uerō prorsus incorrigibiles permanserūt:

Io. 10 & 14 unde & Christus ad ipsos dicit, Ego sum uisus. Et alibi, Ego sum uia. Rursus alibi, Ego sum ueritas. Quod si mihi nō creditis, uel operib. credite. Hæc uero Christus dixit, ut qui obcæcati erāt Iudæi, cognoscerent quod nullus prophetarum

tarum & sanctorum tanta cum autoritate sermones suos, ut Dominus, pro
nulerit, sed seipfos seruos & ministros esse ostenderunt. Christus uero nō licet
sed ceu dominus & princeps creaturæ cū autoritate dixit & fecit omnia in-
star Dei. Et sanē ex populo & turbis magna hominum multitudo in illū cre-
didit: ex scribis uero, Phariseis & principibus pauci, et faciles numeratu. His
igitur sic absolutis, & tantis infinitisq; editis miraculis, atq; doctrina uera per
tres annos continuos singulis diebus per Christum annunciata, proferente e-
tiam illo nonnunquam prophetarū testimonia (non quod testimonijs aliorū
de se indigeret, sed propter incredulitatem, & Iudæorum animi durtiam, tū
deniq; propter hominum infirmitatem) nonnunquam etiā hoc citante Abra-
ham aut Moſen, in primis uero Deum ipsum patrem suum, Iudæis autē nō
hilominus incurabili morbo circa hæc laborantibus, nec propriam illorū sa-
lutem uolentibus admittere, relictis his Christus ea quæ ad uniuersalē totius
mundi salutem faciūt agere cœpit, & dicere discipulis suis, quæ nā illi essent
euentura. Ecce, enim inquit, ascendimus Hierosolymā, & filius hominis tra-
detur principibus sacerdotū & scribis, tradentq; cū gentib; & flagellabūt eū,
& illudēt illi, & despuēt in illū, occidēt illū, & tertia die resurget: & auditis his
discipuli eius moerore affecti sunt ualde. Tūc subduxit discipulus suos Chri-
stus, & ascendit in montē Thabor, & refulsit facies illius, Christi scilicet, plus
quā sol; & uestimenta illius facta fuerunt ueluti nix. Videntes uero discipuli
splendore faciei illius, ceciderunt in terram: non enim poterant hūc ferre. Vi-
derunt autem & Moſen & Heliam cum Christo colloquentes, forma serui-
li. Nunc itaq; hoc factum considera. Primo quidem ut apostoli uiso splendo-
re diuinitatis suæ certō intelligerent, quod sua sponte & propria uolūtate sua
in mortem traderetur, non aliorum potentia coactus. Secundo, ut hinc con-
solationem & animi tranquillitatem acciperent, & a se ipsis quem ex narra-
tione passionis Christi antē cōceperant, se ferre carē. Tercio, ut uiso Mo-
se & Helia prophetis cum reuerētia Christo astantibus, certū redderent, hunc
omniū prophetarum simul & omnis creaturæ esse dominū. Verū & hoc mi-
raculum ingens, quod quēadmodū Christo in Iordane baptizato, sic etiā hic
uox de celo discisso facta est, dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi
complacitū est, ipsum audite. Hoc nimirum oratione hac innuente, ut partim
quidem plenissime certū & securi redderentur, hunc filiū et uerbum Dei esse:
partim uero, ut quia iam tēpus sepulture Christi instabat, & post sepulturam
et resurrectionem apostoli ad predicationē emittendi erant: hi uero licet pau-
ci essent, indocti et infirmi, non tamē ad suā infirmitatē, sed ad Dei potentiā
respicerēt, ut Christi gloria et splendore uiso, Deiq; patris uoce et testimo-
nio audito intelligerent unū Deū esse et patrem et filiū, quodq; una sit diuini-
tas natura et potentia patris et filij, utq; in Dei potentiam consili cum alacrita-
te predicationis negotium aggredierentur. Et impletur hic Dauidis prophe-
tia dicens, Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt. Cæterum Moſes
ille propheta dixit, ut et antē annotatum est, Prophetam excitabit Dominus
Deus ex fratribus uestris, sicut me. Omnis anima, quæ nō audierit prophe-
tam illum, extirpabitur. Quod uero hic dixerit, Omnem animā quæ non au-
dierit prophetam illum, esse extirpādam, & quod omnia quæ à Moſe & pro-
phetis dicuntur, uerba Dei sint, manifestū est, et uerum esse constat. Nihilominus
tamē et in baptismo et in transformatione uox coelitus demissa est, &
non per hominem, sed immediate per ipsum Deum patrem. Viden' igitur,
quomodo

Matth. 16

Matth. 17

Deut. 18

quomodo primitus & ab initio paulatim ea quæ Christi sunt, apparuerint. Et quemadmodum post noctis tenebras non repente sol uidetur, sed primo splendor, deinde lumen, tandem uero ipse sol: ita etiam de Christo factum esse uidemus. paulatim enim cepit: deinde ipse Christus sol uerus & rationalis lucem in mundum intulit, & in animas illorum qui in eum credunt. Deinde Hierosolymam Christus ipse ascendit, ut ipsius impleteretur passio, quemadmodum apostolis prædixerat. Et ingrediente ipso in urbem, cepit populus exclamare & dicere (imprimis autem Hebræorum pueri) Benedictus, qui uenit in nomine Domini, Hosanna in altissimis, Rex Israël, Pax in coelo & gloria in altissimis. Furore autem repleti scribæ & pharisæi dixerunt Iesu, increpa illos ut taceant. At Christus respondit illis, An nunquam legistis prophetam dicentem: Ex ore infantium & lactentium concinnabo laudem. Quod si hi tacuerint, lapides clamabunt. En etiam nunc attende. Angeli in ipsius Christi generationis celebratione cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas: nunc uero dixerunt pueri, Hosanna in altissimis, Benedictus qui uenit in nomine domini rex Israël, Pax in coelo & gloria in altissimis. Quis uero Dominus super terram uocatur? Nullus alius certe præter Deum. Dicuntur equidem etiam multi hominum domini, sed cum appositione hominis sui: ut legimus de Ioseph filio Nun dicente, Dominus meus Moses: & de alijs multis dicentibus, Dominus meus Dauid. Quam dicendi consuetudinem etiam hodie inter homines seruata uidemus. Domini uero nomen sic indefinite nemini alij quam soli Deo tribuitur. Quapropter Christus cum Deus esset, non modo non increpauit dicentes, Hosanna in altissimis, &c. sed etiam Dauidis citauit testimoniū, dicens, An non legistis prophetam dicentem: Ex ore infantium & lactentium concinnauit laudem. Qui uero lapides sunt, quos Christus uociferaturos dixit: Gentes nimirum, qui tunc quidem non habebant fidem suscipiendam, paulo post uero clamauerunt ipsis tonitribus clarius & sublimius: quin & sepulchrorum lapides planè & aperte, qualiter uix unquam, Domini resurrectionem cum diuina uirtute & potestate factam exclamauerunt. Post hæc uero dicit discipulis suis Christus: Ecce ascendimus Hierosolymam, & perficietur omnia quæ scripta sunt à prophetis de filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illi detur illi: calumnias patietur, & despuetur, & flagellatum occidet, tertiaque die resurget. Et cū coena iam esset finita, dicit discipulis suis: Unus uestrum prodet me. Et interrogauerunt eum singuli, Num ego sum? Et nulli horum respondit: Tūc & Iudas qui erat ex discipulorum numero, dicit, Num ego sum? Dicit illi Iesus, Tu dixisti. Et paulo post dicit illi, Quod facis fac cito. Non enim poterat quicquam nec Iudas nec alius contra Christum facere, nisi hoc cum illo consentiente. Mox autem postea rursum dicit discipulis suis Christus: Ex nunc appropinquauit tempus, quod prædixi uobis. Ceterum non turbetur cor uestrum, neque formidet. Et postquam docuisset et animauisset eos sufficienter, dixit eis: Nunc quidem dolebitis, mox autem letabimini, & gaudium uestrum nemo auferet à uobis. Surgite, eamus hinc. Et abiit in locum consuetum. Pontifices autem congregati cum scribis & pharisæis & omni concilio eorum, dixerunt: Quid faciemus: quoniam homo hic multa signa edit. Si sic permiserimus eum, uenient certe Romani, et tollent nos & locum hunc & gentem. Conducit ut moriatur. Iudas autem Iscariotes profectus ad pontifices et scribas, dixit illis: Quid dabitis mihi ut ego prodam illum? Et dederunt illi tri-

ginta

ginta argenteos. Et paulo post Iudas turba multa assumpta, eo deuenit ubi Christus inueniebat. Quibus uenientibus, dicit discipulis suis Christus, Surgite eamus, ecce qui prodit me, appropinquat. Et accedente Iuda cum Iudæorum turba, dicit illis Christus, Quem queritis? Dicunt illi, Iesum Nazarenum. Dicit illis Christus, Ego sum. Et hoc audito, omnes prostrati sunt in terram. Num igitur qui tot ac tanta fecerat miracula, qui una uoce prostrauit quærentes se, non potuit nunc efficere ne illum comprehenderent? Haud dubie igitur sua sponte illis traditus est. Tunc dicit illis Iesus: Si igitur me queritis, sinite hos abire. & dimissis discipulis ipsius, comprehenderunt Christum. Videtur ne quomodo ante quidem unico uerbo prostrati ceciderint: deinde uero cum diceret illis, Sinite hos abire si me queritis, solus propria sua uoluntate consentiente his traditus sit: Demonstrauit itaque in se & potentiam suam, et uoluntatem. Quapropter & Dauid dixit, Traditus sum, & non declinaui. Si enim Christus cum euadere posset, traditus est, uolens seipsum tradidit. Abduxerunt itaque Christum ad pontifices. Discipuli autem timore correpti fugerunt. Sacerdotum autem principes propter Iesum comprehensum gausi sunt. & aduocatis duobus falsis testibus contra illum, quæcunque libebat dicebant mendacia. Iesus uero tacebat. Dicit igitur illi summus sacerdos: Adiuro te per Deum ut dicas nobis, num tu sis filius Benedicti, uel num tu sis Christus filius Dei uiuentis. Dicit illi Iesus, Ego sum. Verumtamen dico uobis, a nunc uidebitis filium hominis sedentem a dextris potentiae, & uenientem in nubibus cæli. Tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid ultra indigemus testibus? Ecce uos ipsi audiistis blasphemiam ipsius. Quid uobis uidetur? At illi dixerunt, Reus mortis est. Quidam igitur astantium dedit illi alapam. Et cum illulissent illi, abduxerunt illum, & tradiderunt Pilato. Iudas uero abiens dicit principibus sacerdotum: Peccaui, prodens sanguinem innoxium, & argenteis in templum proiectis, abiit, & suspendit se. Pontifices uero pecunijs acceptis dixerunt, Non licet eam ponere in corbonam, quoniam precium sanguinis est. emerunt igitur hac agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Milites autem prædatis acceptum Iesum exuerunt uestibus suis, & induerunt illum chlamyde probrosa, et abduxerunt eum ad regem Herodem. Et cum uidisset illum Herodes, remisit illum Pilato. Hic uero interrogauit eos dicens, Quid dicitis de homine isto? At illi dixerunt, Crucifige illum. Pilatus uero inquit, Et quid nā mali fecit? At illi dicunt, Obloquitur Cæsari, & seipsum dicit Dei filium. Et sic conturbabant Pilatum. Hic uero uoluntati illorum satisfactorius, accepta aqua coram omnibus, manus abluuit dicens, Innoxius ego sum a sanguine iusti huius. uos uideritis. Illi uero dixerunt, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et tunc tradidit Iesum militibus, ut crucifigeretur. Illi uero cum accepissent, illi illuserunt, & expuerunt in faciem eius, & flagellauerunt eum: quin & uestimenta illius diuiserunt. Gestabat uero tunicam inconsutilem, super quam iecerunt sortem, quis nam illam acciperet. Et cum hæc fecissent, abduxerunt Iesum ad crucifigendum illum. Dederunt etiam illi potum, felle mixtum acetum, & crucifixerunt eum. Et obtenebratus est sol ab hora tertia usque ad horam nonam: & hora nona emisit spiritum, astantibus simul crucis sancta matre ipsius, & uno discipulorum Ioanne. Reliqui uero discipuli omnes aufugerunt, & latuerunt absconsi præ timore suo. Et accedens quidam militum, lancea perfodit latus ipsius. Postea ueniens quidam optimatum Ioseph

d seph

seph nomine, à Pilato corpus Christi petijt. & deponens illud, adiuuante si-
mul alio quodā, Nicodemo scilicet, inuoluit sindone & myrrhæ fere libris cē-
tum, prout mos est ludæis sepelire. Nactus uerò sepulchrum excisum in pe-
tra, sepeliuit corpus Iesu, & ita posuit illi lapidē ualde magnum. Crastina au-
tem die scribæ & pharisei uenientes ad Pilatum dixerunt illi, Domine, recor-
dati sumus, quod impostor hic uiuens adhuc dixerit, se post dies tres resurre-
cturum. lube igitur muniri sepulchrum usq; ad diem tertium: ne forte disci-
puli illius uenientes furentur illum, & dicant populo quod surrexerit à mor-
tuis, et sic error postremus deterior sit priori. Dixit Pilatus: Habetis custodiā,
abite & custodite quantum potestis. Hi autem profecti munierunt sepul-
chrū, obsignantes lapidem unā cum custodiā, (custodiam autem hoc loco tur-
mam militum intelligas.) Et tertio die factus est terramotus magnus, & de-
uolutus est lapis de sepulchro, & milites præ timore mortuis sunt similes fa-
cti. Christus autem surrexit ē sepulchro. Milites uerò profecti annunciauērūt
principibus sacerdotum & scribis, omnia quæ facta fuerant: & dederunt illis
pontifices pecuniam copiosam, dicentes illis, Dicite quod uobis dormienti-
bus uenerint discipuli illius, & furati sint illum. Quod si hoc coram præside
auditum fuerit, nos persuadebimus eum, uosq; omni cura exoluemus. Hi ue-
ro pecunia accepta, fecerunt ut edocti fuerant, Iesus autem abiens inuenit di-
scipulos suos, & dixit illis, Pax uobis. Hi uerò uidentes illum gauisi sunt. Et
cum mansisset apud illos dies quadraginta, docens & confirmās illos, die qua-
dragesima illis dixit: Abeuntes ite in mundum uniuersum, prædicate in om-
nes gentes. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluabitur. Qui uerò non
crediderit, condemnabitur. Credentes autem signa hæc cōsequentur: In no-
mine meo dæmonia eiicient, linguis nouis loquentur, serpentes tollent, & si
quid letiferi biberint, nō nocebit illis: super infirmos manus ponent, & sana-
būtur. Vos autem sedete Hierosolymis, donec uirtute ex alto induamini. Et
benedixit illis, interq; benedicendum secessit ab illis, & sublatu est in celos,
& sedet ad dextram Dei. Apostoli autem reuersi sunt Hierosolymam cū gau-
dio magno, expectantes uirtutem ex alto promissam. Quis autem horum o-
mnium sensus? Quod si singula secundum omnem diligētiam discutere uel-
lemus, omniaq; quæ facta sunt describere, multo sanē opus haberemus o-
cio. Quoniam autem uaria est horum ratio, & explicatu difficilis propter ue-
stram ignorantiam, agedum quod reliquum est breuissimis uerbis, quan-
tum fieri potest, absoluemus. Inspiciamus itaque prophetias, quæ de Christi
passione copiosissimæ, ceu torrens aquis auctus niualibus, habentur.

Congregati sunt pontifices, scribæ, pharisei, tum etiā rex Herodes & Pi-
Psal. 2. la tus aduersus Christum. Dauid autem dicit, Quare fremuerūt gentes, et po-
puli meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerūt
in unum, contra Dominum, et contra Christum eius.

Prodidit Christū ludæis in mortē Iudas discipulus eius. Et rursum de eo
Psal. 41 dē idem Dauid loquitur: Inimici mei dixerūt mihi mala, quando moritur, et
perit nomen eius: Et ingrediebatur ut uideret, uana loquebatur cor illius, cō-
gregauit iniquitatem. Egrediebatur forās, & loquebat in idipsum. Etenim
homo pacis meæ, qui comedit panes meos, magnificauit aduersus me supplā

Psal. 109 rationē. Constitue super eum peccatorem, & calumniator stet à dextris eius.
Et cum iudicatur exeat condemnatus, & preces eius fiant in peccatum. Fiant
dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. In generatione una delea-

tur

tur nonien eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur. Dispareat de terra memoria eius. Dilexit maledictionem, & ueniet ei: & non uoluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Apprehenderunt Iudaei Christum, & abduxerunt eum ad principes sacerdotum. Et de hoc Ieremias dicit, Ego uero tanquam agnus innocens ducebar, ut mactetur.

Accepit Iudas triginta argenteos, & abiecit eos, emeruntque pro illis agrum figuli. Et Ieremias dicit: Statuerunt triginta argenteos, precium appreciati, quem aestimatum emerunt a filiis Israel, & dederunt ea in agrum figuli, quem admodum constituit mihi Dominus.

Venerunt falsi testes, & mendacia aduersus Christum locuti sunt. & rursum dicit Dauid, Surgentes in me testes iniqui, quae ignorabam interroga uerunt me, & reddiderunt mihi mala pro bonis.

Congregati sunt apud principes sacerdotum, Annam & Caiapham, illudentes Christo. de hoc Dauid: Circumdederunt me canes multi, tauri pingues circumsteterunt me: Opprobria opprobrantium tibi ceciderunt super me. Multiplicati sunt supra pilos capitis mei, qui me odio habent sine causa. Corroborati sunt inimici mei, & qui me persequuntur iniuste. Quae non rapui de illis, multatus sum. Hoc est, Adam, quidem ex arbore prohibita comedens, iuste mortuus est: Christus uero peccati ignarus, iniuste mortem subiit.

Tradiderunt Christum Pilato, Pilatus rursus militibus: hi uero exuerunt eum, & diuiserunt uestimenta illius, super tunicam uero inconsutilem miserunt sortem, ne eam discinderent. & de hoc Dauid loquitur: Diuiserunt uestimenta mea sibi ipsis, & super uestitum meum miserunt sortem.

Induerunt eum tunica probrosa, de quo etiam Dauid: Ego uero cum tumultuantur in me, saccum induebam.

Flagellauerunt Christum, & alapas illi inflixerunt, inspuerunt in faciem illius. Et de hoc Esaias: Ego uero non inobediens sum, nec obloquor, tergum meum dedi ad plagas, & maxillas meas ad alapas. Faciem autem meam non auerti a pudore inspectum. Et Dominus mihi auxiliator factus est, eo quod non auersus sim, sed posui faciem meam ceu petram stabilem, et cognoui quod non confundar.

Dederunt illi fel aceto mixtum. & Dauid dixit: Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Abduxerunt Christum ut illum crucifigerent. & Isaias dicit: Tanquam ouis ductus est ad mactationem, & tanquam agnus coram tondente ipsum mutus, sic non aperit os suum in humilitate sua. Iudicium illius sublatum est: generationem uero eius quis explicabit? quoniam aufertur de terra uita ipsius.

Interrogauit eum Pilatus, Tu ne es filius Dei? & dixit illi Christus, Tu dixisti. Pilatus uero tradidit eum ut crucifigeretur. & Dauid dicit: Clauis perforauerunt manus meas, & pedes meos.

Confoderunt latus ipsius lancea, & de hoc Zacharias: Respicient in me, quem pupugerunt.

Obtenebratus est sol Christo in cruce suspendo, ab hora sexta usque ad horam nonam, & sic dicit Zacharias: Et dies haec cognoscibilis Domino, & non dies, & non nox. & sub uespera erit lux, & Dominus erit in regem super uniuersam

terram. In die illa erit Dominus unus, & nomen eius unum. Attende igitur. A creatione ipsa mundi nox diem excipit, & similiter dies noctem: in passione uero Domini non sic, sed sol obtenebratus est. Quod si uerò iuxta communem, quæ sæpius contingere solet, obtenebrationem solis eclipsis contigisset, nequaquam de hac, ut nec alibi, propheta dixisset: cum naturaliter solis eclipsis eo tempore contingere soleat, quo luna cum sole coniuncta est, quod in decima quarta illius die nunquam fit, nec unquam erit. Propterea ceu stupendam, admirandam, & naturæ leges excedentem rem propheticus sermo denotat, ut & imprudentes intelligant, & qui sensu carent sensum recipiant, quod in Christi passione sol obtenebratus est, & uanissimi homines non crediderunt. Petre dissilierunt, templi uelum in duas partes scissum est à summo usque ad imum. monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui obdormierant, surrexerunt (quemadmodum sanctum Euangelium testatur) & ingressi sunt Hierosolymam, & apparuerunt multis: sed uanissimi homines non crediderunt. uerum obtenebratum est insciens cor illorum, & in tenebris conuersantur.

Esai. 53. Christus expirauit. & Esaias dicit: Non est illi species, neque decor: & uidimus eum, nec habebat speciem, neque decorem. Sed forma eius inhonorata, & deficiens præ filiis hominum. De cruce uerò sermo noster iam sileat, de hac enim suo loco et tempore dicemus.

Aliterunt autem cruci mater Iesu, & unus discipulorum illius Ioannes. Quid autem de hoc dicatur, audi. Erat homo Hierosolymis cui nomen Simeon, & homo iste iustus & pius: & responsum acceperat à Deo, non uisurum se mortem nisi prius Christum uideret. Et cum ipsum puerum adhuc in templum attulissent, ad implendum ea quæ in lege descripta sunt, idem ille Christum in ulnas suas suscepit (sacerdos enim erat) & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace. quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum, quod paruisti ante faciem omnium populorum. Lumen in reuelationem gentium, & gloriam populi tui Izrael. Et conuersus ad uirginem Mariam dixit: Ecce positus est hic in ruina, & resurrectionem multorum in Izrael, & in signum cui contradicatur. Et tuam ipsius animam penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Nunc autem quid hæc sibi uelint, perpendito. A Deo definitum erat, ne mortem uideret Simeon, nisi prius uidisset Christum. et iam ad senium extremum deuenerat. Christum uerò uidens, dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum. Hoc uerbo planè denotans, hunc ipsum Deum esse, qui illi responsum dederat de non uidenda morte, & quasi à domino uitæ & mortis postulat ut ab hac uita terrestri liberetur. Quod autem dicit, Hic positus est in ruina, & resurrectionem multorum in Izrael: manifestum est, quod scilicet animabus suis ceciderunt, quotquot in illum non crediderunt. qui uerò crediderunt, à peccati lapsu surrexerunt. Item hoc, In signum cui contradicatur, propterea dixit, quod omnes de Christo disceptauerunt, hi quidem dicendo hunc bonum esse, alij uero, malum. Quin & in ipsa cruce duo latrones inter se contendebant (unus enim cum illo duos latrones crucifixerunt, unum à dextris ipsius, alterum à sinistris) & alter quidem, Christum in cruce suspensum conspicatus, conuicia in illum iecit, alter uerò, hunc increpauit dicens: Non times tu Deum, cum in eodem sis iudicio? & nos quidem iuste, operibus enim nostris digna patimur: hic uerò ini-

qui

qui nihil designauit. Et dicit ipsi Iesu, Domine memento mei, cum ueneris in regnum tuum: & saluatus est, alter uero periit. Item, Tuam uero ipsius animam pertransibit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes. Haec ita intelligenda sunt. Quidam haeticorum putauerunt Christum esse quidem Dei filium, deumque uerum, hominem autem uerum esse negauerunt, sed hominem factum esse modo quodam imaginatorio. Et hoc quidem multis uidetur, quod homo quidem sit citra controuersiam, non tamen homo uerus. Hoc igitur instar prophetae prauidens Simeon matri dixit Deiparae, Et tuam ipsius animam transibit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes: hoc innuens his uerbis, Cum homines te matrem illius dolentem uiderint, flentem & plorantem, cum hunc in cruce pendere conspexeris, certi red dentur et confirmabuntur, qui cogitationes de illo habent dubias, quod citra omnem controuersiam & homo sit, & tuus filius. Sancta enim mater illius doluit quidem hunc in cruce conspiciata, expectauit autem simul resurrectionem illius tertio die secuturam, & letata est, quod & contigit. Nunc igitur intelligis, quomodo omnia quae de Christo facta sunt, prophetae & sancti predixerint, quemadmodum etiam in hoc nostro argumento factum est. Et uos quidem, sicut illi, imaginatorio modo hominem factum esse non dicitis, sed Christum uerum hominem esse fatemini: nihilominus tamen aliquid haeticis simile dicitis. Non enim arbitramini, quod ipse Christus crucifixus sit, sed Musulmani seu honoraturi illum dicunt, Iudaeos alium quendam Christi loco crucifixisse, cum imaginatione falsa decepti hunc Christum esse putauerint. Licet enim in Christo uniuersalem illam imaginationem siue phantasiam non probetis, cum tamen illum aliquo modo uel tempore a uera substantia degenerauisse dicatis, sine omni controuersia in eundem errorem inciditis. Si enim aliquando uobis cum ipsis disputatio incideret, & illi quidem dixerint Christum per omnia hominem fuisse imaginatorium, uos uero his est contra responderitis, hunc reuera hominem uerum fuisse, in sola autem passione fuisse imaginatorium, aliumque loco illius crucifixum esse. Hi autem denuo obiecterint, Quod si uos particularem phantasiam uel imaginationem in Christo factam fuisse dicitis, cur nos qui uniuersalem asserimus, propter hoc a uobis damnamur? Particulare enim cum uniuersali non pugnat. Te itaque interrogo, quam responsionem illis afferetis dignam & probabilem? Quam certe huc afferatis, nullam habetis omnino. Vides igitur quam peruerse Musulmanos instituerit, qui huiusmodi dogma dedit, siue inscius rerum, quae non intellexit, docuerit: siue re omni cognita, ueritatem tamen occuluerit. Aliter uero nos Christiani ueritatem edocti ab ipsis prophetis, ex Euangelio quoque & discipulis a Christo institutis sic sentimus, et sic credimus, Quod filius Dei carne assumpta ex sancta & deipara uirgine homo uerus natus sit, & idem ipse uere sit mortuus, & non alius: & in cruce, & in passione & in morte eius gloriamur. Quod si uolueris Esaiam dicentem audi: Non est species ei, neque gloria. Et uidimus eum, ne habebat speciem, neque decorem. Sed species eius inhonorata, ac deficiens decor ipsius patris filii hominum. Homo in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem, quia uersa est facies eius, despecta est, & non est reputata. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet, & nos putauimus eum esse in dolore & plaga a Deo, & in afflictione. ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Disciplina pacis nobis super eum: liuore eius nos sanati sumus.

» Omnes tanquam oves errauimus. Homo in uia sua errauit, & Dominus tradidit eum iniquitatibus nostris, & ipse propter afflictionem non aperuit os suum. Animaduertis ne qua ratione fiat ut Christianos passionis Christi non pudeat, quin potius in hac gloriantur, & illam prædicent? Qua enim interpretatione uaticinium hoc præsens ipso sole splendidius indiget? Quis enim hominum pro alterius peccatis patitur, præterquam Deus? Nullus sane, Cuius etiam hominis mors alterius sit resurrectio. Cuius egritudo alterius est sanitas? Fateri omnino oportet, quod hoc non sit alterius quam solius Christi. Ipse enim solus pro nobis passus est, & ipse contemptus est; sed contemptum hunc nihili duxit. Ipse peccatum e medio sustulit, & ipse pro nobis afflictus est, & ipse uulneratus est propter iniquitates nostras ut illas deleat, & liuore illius nos omnes sanati sumus. Moses uero sic dixit: Videbitis uitam uestram

Dent. 28 suspensam ante oculos uestros. Cuius enim uita suspendi potest ante oculos alicuius? Nullius omnino. Sed solus Christus in cruce suspensus est, qui est uita mundi. Ipse enim se dixit, Ego sum uita, ego sum uia, ego sum ueritas.

Ioan. 14 Nunc nimirum intelligis, prophetas etiam de morte Christi, quemadmodum de reliquis omnibus, esse uaticinatos. Agnosce igitur, quod indubie Christus ipse mortuus sit. Ille ipse enim crucifixus est, & mortuus, & non alius, ut uos dicere soletis. Et liuore illius omnes sanati sumus, et morte eius omnes sumus uiuificati, & resurrectione illius omnes uicimus, & cruce illius abolita est diaboli tyrannis, mortisque potentia. Si uero quis nunc obijciat, Qui igitur contingit, ut homines etiam nunc moriantur, & diabolus adhuc liber sit? Tentare enim homines nequaquam desinit, sed summo studio omnes ad peccandum incitat. Huic nos sic respondebimus. Hac, quam pos mortem esse putamus, mors non est, sed somnus. Olim enim mors talis erat, quæ resurrectione carebat, sed detinebatur in inferno anime; nunc uero resurrectione nobis à Deo donata, tanquam ex somno resurrecturi sumus omnes homines, tam pii quam impij. Et considera quæso rem tremendam & horribilem. In hominem enim ratione & sensu præditum, ab Adamo mors regnauit, in omnem hominem: nec erat resurrectio in hominibus sine Christo, quemadmodum propheta testati sunt. Per Christi uero mortem mors illa deiecta est, & superata, uenitque resurrectio: & morte confecta liberatus est totus mundus à potestate Satanae, & credentes in Christum & non credentes, omnes inquam, à tyrannide diaboli sunt liberati. Et sane nisi Musulmani crederent resurrectionem esse, rationes certas afferremus, quibus eam possemus comprobare: cum uero & ipsi eandem amplectantur & expectent, superuacaneum mihi uidetur de illa multis disserere. Caterum hoc solum dicimus, quemadmodum accepimus et sumus edocti ex sacra scriptura, quam & Musulmani sacram esse fatentur, Christi resurrectio toti mundo utilitati fuit. De diabolo autem sic dicimus. Quamuis adhuc nondum condemnatus sit in locum proprium poenæ, propterea quod iudicium, quod Christus iudicaturus est, nondum transactum sit, hoc tamen ueniente diabolus ignem hereditabit inextinguibilem, qui illum manet. Et quauis uideatur ille uiuere, pro mortuo tamen est habendus, perinde ac si homicida aliquis, aut fur, alius ue quispiam, qui capitale aliquod commisit facinus, à rege capitis supplicio adiudicatus fuerit, licet post hanc à rege latam sententiam uiuat adhuc diebus aliquot in carcere, mortuus tamen adnumeratur, licet inter uiuos adhuc sit. Idem igitur hoc de diabolo

lofi:ri intelligas. Postquam enim Christus resurrexit, ille perditus est. Cum autē in homines ea quae facere solet, machinatur, non ceu potestatem aliquā habens, aut uirtutem, facit: sed tanquam malus aut fraudulentus, amicitiam simulat, eaq; consultat quae hominibus interdita sunt & noxia. Et quidem si aliquem sibi morigerum nactus fuerit, uidetur multum potuisse, & dedisse damnum. Si uerō ab aliquo non fuerit receptus, sed dimissus inanis & uacuis, omni destitutus robore discedit, nec uires habet aliquas. Homo enim multoties ab homine cogitur ut inuitus faciat, quod nec uult, nec antē constituit: a diabolo autem non sic. uolens enim paret uano & noxio illius consilio. Qui uerō parēre noluerit, diabolum ceu rem nihili contemnit. Idem uero singuli homines a propria sua ratione patiuntur, quod a diabolo. Incidit enim homo in alicuius meditationem facinoris, uel honesti, uel turpis: & si quidem principem uel ducem, mentem uidelicet sanam habuerit, et prudentem, illa meditationes simul & harum causas diiudicat, bonumq; a malo discernit. Si uero dux hominis mens infirma fuerit & impotens, noxia pro uilibus amplectitur. Vides igitur diabolum uiribus carere, quamuis easdē habere uidetur: sed comminuta est & euanuit uniuersa tyrannis illius. Christo ex sepulchro resuscitato. Post secundum enim Christi aduentum relegabitur in tenebras exteriores, & in ignem inextinguibilem, prout commertus est. En itaque, ut antē dictum est, sic factum esse apparet: quod scilicet ea quae Christum attinent, ab initio paulatim apparuerunt: quanto autem propius appropinquauit tempus generationis huius, tanto clarius planiusq; prophetae de illo uaticinati sunt. Postquam autem Christus uenit, dedit is clauem scientiae hominibus, ut pure & sine omni furo ueritatem intellexerent: quā (si ueritas dicenda est) ipse Christus aperuit thesauros absconditos, & in medium deposuit ceu infinitum pelagus, ut quilibet ex hoc nemine prohibente hauriat, quae illum oblectant, & iuuant. & hac quidem talia sunt. Redeamus uero ad id unde sumus digressi.

Christo in cruce pendente, quidam militum aperuit latus illius lancea. De hoc igitur, ut supra monuimus, Zacharias dicit: Videbunt, in quem pupugerunt. Zach. 12

Mortuus est: de quo & Esaiās dicit ea, quae supra recensuimus. Dicit uero & admirandus ille Solomon, de iusto & celeberrimo Iob, tanquam sub persona Dei: Accinge tanquam uir lumbum tuum, & interrogabo te, tu autem mihi responde. Vbi eras cum fundarem ego terram? annuncia mihi, si scis, intellectum: quando facta sunt astra? Laudauerunt me uoce magna omnes angeli mei, & celebrauerunt hymnis. Conclusi autem mare portis, & posui illi terminos, dixi q; illi, Hucusque uenies, & non transgredieris, sed in teipso collidentur tibi fluctus tui. Annuncia mihi: Num tu accepto luto formasti animal, & sermone praeditum posuisti illud super terram? Num in uestigijs abyssi deambulauisti? Aperiuntur ne tibi praeterea mores sanuae mortis, & ianitores inferni te uiso stupuerunt? Respondens uero Iob, dixit Domino: Noui quod omnia possis, et impossibile tibi est nihil. Audiuisti enim auris audiui te prius, nunc uero oculus meus uidit te. Audiuisti ne de morte Domini prophetia hanc clarissimam, & splendidissimam? Ipse enim Deus de se dicens, quod fundauerit terram, quod posuerit mari terminos, quod celebrauerint eum angeli sui: idem ille dicit ipsi Iob, Num accepto luto Iob. 38

d 4 luto

luto formauisti animal, & sermone präditum posuisti illud super terrā: num in uestigijs abyssi deambulauisti? Apertentur ne tibi prae timore ianuae mortis, & num ianitores inferni te uiso stupuerunt? Quid quæso his innuit aliquid, quod Ego Deus sum qui feci hæc, ego aperui portas mortis: timore enim mei aperte sunt, & me uiso in inferno stupuerunt ianitores illius. Verū tamen quid nam opus est hanc prophetiam interpretari? Talem enim esse uidemus, ut uel planè stupidus & rudis eam intelligat. Illud enim, Viso me ianitores inferni stupuerunt, Christi resurrectionem cum autoritate diuina potentique uirtute factam significat, præterea uniuersam illam inferni mortisque destructionem. Quin & Dauid luculenter sic dicit, Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ut sanctus tuus uideat corruptionem. Tertia enim die resurrexit Dominus, nec corruptionem sensit corpus illius sacrosanctum. Mortuo enim illo, sanctissimum illius corpus Ioseph simul & Nicodemus, ut supra diximus, inuoluerunt sindone, myrrha & aromatibus. Et de sepultura illius Magi quippe in Bethlehem uenientes prophetauerunt ipso nato, offerentes illi aurum, thus, & myrrham.

Dixerunt Iudei Pilato, lube muniri sepulchrum: & nisi munitum fuisset illud, occasionem habuissent resurrectionem cauillandi, dicentes, quod non adfuisset digna & sufficiens custodia. Verum cum omnifaria custodia & diligentia his commissa fuerit, nullam omnino occasionem reliquam habent resurrectioni illius contradicendi. Ita enim ut cupiebant, uolebantque, sepulchrum custodiri curauerunt. Lapis enim huic impositus est ingens, quem etiam sigillo obsignauerunt: quin & militum turmam ad custodiam huius constituerunt. Cæterum ut ingratorum Iudeorum effrena obturentur labia, quid sit, & quale nam tempore resurrectionis Christi editur miraculum? Terramotus fit ingens, & milites sepulchro custodiendo deputati mortuis redduntur similes. Christus uero relicta sindone cum aromatibus quibus in uoluitus fuerat, surrexit ex sepulchro. Et de hoc Dauid, Vespere occinetur lucus, & mane exultatio. Ploratus quidem propter sepulturam, exultatio autem propter resurrectionem. Vidistin' imò audiuisti magis augustam illam, diuinam & potentem uirtutem et potentiam? An non obstupescis, et attonitus ad hæc redderis? Fatendum omnino est rem sic se habere, et non aliter. Quomodo enim aliàs possibile fuerat, myrrha conditum corpus à sindone posse reuelli et euolui, eamque euolutam inueniri integram puramque cum tot uiscosis aromatibus? Hoc certe unum etiam est ex magnis illis et stupendis Christi miraculis. Sed et lapis deuolutus est, ne Iudei putarent Christum, qui resurrexerat, adhuc in sepulchro iacere, uerum ut per terramotum & lapidem, tum etiam sudarij et sindonis indicio cum aromatibus illic, ut diximus, iacentis in cognitionem peruenirent, et recordarentur uerborum Christi, Nemo tollit animam meam à me. Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo rursus sumendi eam. Verum neque sic intellexerunt miseri, sed pecunias dederunt militibus, qui Christi resurrectionem obscurarent.

Christus porro cum resurrexisset, ueniens ad apostolos dixit, Pax uobis; Illi autem hoc uiso gauisi sunt. Vnus uero horum Thomas forte illa hora non aderat illis. Cum autem de Christi resurrectione audiuisset, dixit: Nisi ipse uidero in manibus illius signa clauorum, & immiserò manum meam in latus eius, non credam. Hisque contrectatis Thomas, quod quærebat inuenit, & altum exclamauit, Dominus meus, & Deus meus. Neque enim simplici quodam

dam & fortuito modo, tanquam gratificaturi Christum apostoli Deum dice-
bant, & confitebantur, sed cum magna reuerentia & studio. Christus autem
dicit illi, Quia uidisti me, credidisti. Beati, qui non uidentes credunt. Post re-
surrectionē igitur Christus cum apostolis cōmoratus est dies quadraginta.
& cum docuisset eos, dedit illis potestatem contra daemones, & uirtutem e-
dendi miracula, quæ Christus faciebat: et ut quæcunq; peccata in terra remit-
terent, ea in cœlo quoque essent remissa: & ut quæcunq; in terra liga-
rent, in cœlo etiam essent ligata. Non tamen apostoli modo, uerum om-
nes Christo credentes, qui iuxta uerbum & euangelij doctrinam uiuunt, ean-
dem potestatem & uirtutem à Christo acceperunt, quam & apostoli, eadēq;
cum apostolis miracula sancti fecerunt.

Die autem quadragesima abiit Christus cum apostolis in montem Oliua-
rum Hierosolymæ uicinum, & dicit illis: Profecti docete omnes gentes. Qui
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condem-
nabitur. Signa uerò credentes hæc consequentur. In nomine meo daemonia
eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si letale quipiam bibe-
rint, non nocebit eis: infirmis manus imponent, & sanabuntur. Vos autem
sedete Hierosolymis, donec induamini uirtute ex alto. Et benedixit illis: &
factum est inter benedicendum, secessit ab illis, & sublatu est in cœlum.
cum que ascendisset, consedit ad dextram Dei. Quamuis uerò & Musulma-
ni dicant, Christum in cœlis esse, non tamen ueritatem ipsam attingunt.
Christum enim in cœlo dicunt esse hominem sanctumq; magnumq;, &
sanctiorem omni homine: talem inquam ipsi Christum in cœlo esse faten-
tur, amplius uerò nihil. Sed quemadmodum in omnibus ad Christum
pertinentibus, ita etiam in hoc errant. Si uerò ueritatem discere uoles, Da-
uidem audi dicentem: Cantabo tibi in gentibus Domine, quoniam alte
supra cœlos misericordia tua, & usque ad nubes ueritas tua. Exaltare Deus
supra cœlos, & super omnem terram gloria tua. Attende diligenter. De quo
nam Dauid dicit, quod alte supra cœlos sit misericordia eius, & usque ad nu-
bes ueritas illius: & quod exaltatus sit Deus supra cœlos, & super omnem
terram gloria eius? Deus ubiq; est, & non est locus ubi Deus non sit. Hoc
igitur haud dubie citra omnem controuersiam dicit de homine, quem fi-
lius & uerbum Dei assumpsit: qui antea quidem non erat in cœlo, sed in
terra: nunc uerò subuectus est, & exaltatus, & consedit à dextris Dei pa-
tris, qui quidem in cœlo est, super terram uero gloria eius. Sed planius
adhuc, & dilucidius idem Dauid dicit: Tollite portas principes uestras,
& eleuamini portæ sempiternæ, & ingredietur rex gloriæ. Quis est ille
rex gloriæ? Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Tollite
principes portas uestras, & eleuamini portæ sempiternæ, & introibit rex glo-
riæ. Quis est ille rex gloriæ? Dominus uirtutum: hic est ille rex gloriæ. Quid
tibi de hac prophetia uidetur? Dico sanè, quod si alius propheta nullus de
Christo locutus esset, hæc sola prophetia multarum & magnarum loco esset.
Demonstrauit enim propheta dicens, Tollite principes portas uestras, & ele-
uamini portæ sempiternæ, & introibit rex gloriæ: quod de illo loquatur, qui
ante nunquam in cœlis fuerat, sed eo demū temporis articulo quo portæ cœ-
lestes, id est angelicæ uirtutes aperiri iubentur. Eo enim tempore ascendit rex
gloriæ, quæ uidentes obstupuerunt & interrogauerunt: Quis est ille rex glo-
riæ? Quibus hi, qui subuexerunt dominū gloriæ, responderūt, (quos prophe-

ta Ezechiel

psal. 36

psal. 24

ra Ezechiel uidit, ut post declarabitur) Dominus fortis & potens, dominus potens in bello. Quis autem in bello potens apparuit? Homo ille supernaturalis, quem assumpsit filius & uerbum Dei ex diua uirgine: hic etenim diabolus debellauit, & illius destruxit regnum, quo ab Adami temporibus usque ad Christum regnauerat: quin & tyrannidem illius, qua genus humanum prefferat, est amolitus. Quid enim noui est, si Deus diabolus uincat? Nihil omnino. Verum hoc magnum & admiratione dignum est apud angelos & homines, atque humanæ naturæ potentiam excedit, ut homo uincat diabolus. Nam secundum humanitatem Christus diabolus deuicit, non secundum diuinitatem. Quod enim bellum erat contra Deum? Propterea et Christus dixit, Venit mundi princeps (id est diabolus) & in me non habet quicquam. Licet enim omnes homines peccatores sint, in Christo tamen peccati signum inueniri non poterat, nec peccati indicium. & quamuis omnes deprehendamus a peccato uicti, et ligati quodammodo, per illud roborabatur & tyrannidem exercebat: homo autem ille supernaturalis & stupendus, quem filius Dei assumpsit, peccato non fuit obnoxius, sed illud uicit, inferni regna destruxit. Quapropter propheticus iste sermo, qui dicit, Dominus fortis & potens, dominus potens in bello: ostendit ipsum hominem. Cum uero dicit, Dominus uirtutum, hic est ille rex gloriæ: ostendit ipsum Deum. Virtutes enim angelorum cohortes sunt. Quis autem angelorum dominus est? Deus nimirum. Vides quomodo unum eundemque angelus, & omnes prophetæ ante generationem illius & post illam, in morte illius & post resurrectionem, et deum & hominem prædicarint? Ezechiel porro sic dicit: Ego eram in medio capitis iuxta fluuium Chobar: & aperti sunt celi, & uidi uisionem Dei, & facta est super me manus Domini. Et uidi nubem magnam, & splendor in circuitu ipsius & ignis fulgurans. Et in medio erat quasi similitudo quatuor animalium, & unicuique alæ quatuor, & scintille quasi æs fulgurans, alæque illorum celeres. Et similitudo super caput animalium quasi firmamentum, quasi uisio crystalli horrendi. Et super firmamentum quod erat super caput illorum, tanquam similitudo throni in eo: & supra throni similitudinem tanquam similitudo hominis insidens. Et uidi ceu uisionem ignis intrinsecus in eo. Et licet præfens hæc prophetia, copiosa, magna & admiranda sit, quam propter scripturæ & interpretationis copiam omisimus, tamen ut ut hæc sint, hoc solum considera, quod quatuor animalia (quæ uates alata dicit aliis quatuor, & subiungit postea, Et reliquæ duæ coniunctæ ad inuicem) magna illa angelorum cohors est, quæ per totam scripturam sacram Seraphim dicitur. Super caput autem horum uidit propheta similitudinem throni, & super thronum similitudinem hominis. Atqui hoc sanè interpretatione indiget. Quis enim ille homo est, quem maximi angelorum super caput suum gestant in throno sedentem? Non alius certe quam filius Dei, quem omnes prophetæ Deum & hominem prædicauerunt. Et hæc quidem hæcenus. Tu uero cum alijs obijcis: Cum Christiani affirmant Christum Deum esse, quomodo passus est? Deus enim pati nequit. Item, Si deus est, cur non uel nudo uerbo saluauit hominem, sed quasi impotētia impeditus, homo factus est, et mortuus, ut hominem saluaret? Et quod Deus non patitur, te ipsum testem habeo, siquid illud fateris. Verumtamen homine aliquo moriente, qui uel naturali morte per morbum deficit, uel uiolentia, gladio nimirum, aut alio casu fortuito incidente, corpus quidem patitur & moritur, anima uero

passionis expers & immortalis manet. Quis igitur tam stultus est, ut diuinitatem passibilem esse arbitretur? Sed ne sic quidem diabolus hominem intentatum reliquit. Armenij enim Christum filium Dei esse confitentur, & deum. Addunt autem, quod sicut corpus illius passum sit, ita etiam eiusdem passa sit diuinitas. Quapropter illos & hæreticos esse iudicamus, & sub anathemate detinentur. Hoc uero quod quæris, Cur Christus hominem non nudo uerbo seruauit? ego explicare non possum, sed nostram infirmitatem confiteor. Verum & tibi hoc idem consulo, ut ea quæ fidem merentur, credas: neque ea inquiras, quæ uiribus maiora sunt. Quis enim nouit mentem Domini? Si enim homines conspectis regis alicuius terreni operibus, opera quidē amant & amplectuntur, ulterius uerò non inquirunt, neque laboriosius curiosiusque ea inuestigant: quanto magis de rege regum, & domino dominantium? imò æterno cælorum rege inquirere, & curiosius inuestigare singula absurdum est? Et cum quæstio sit una, qua appareat Christum filium Dei esse: hæc autem sine omni controuersia comprobata sit, & sacris scripturis demonstrata, amplectere hæc, & animo reconde, quod cum Deus sit omnipotens, & cum mundum saluet, siue per angelum, siue per uerbum, uel alio modo quocunque, quem scit et agnouit, potuit hoc facere, et potest. Deus uerò non facit quæ illi possibilia sunt, sed quæcunque uult. quæcunque enim uult, eadem potest: non autem quæcunque potest, eadem uult. Possibile enim illi erat mundos creare infinitos: sed cum hoc nolit, unum creauit solum. Possibile item illi erat alias creare angelorum myriades, sed noluit. Quapropter ne inquiras longius progrediundo. Cum enim latissime hæc rerum absurditas pateat, multa alia hinc absurda nascuntur. Et quomodo id fiat, considera. Qui enim hæc inquirere ausus fuerit, sic interrogare potest. Quando quidem Deus omnia etiam ante generationem ipsorum nouit, & præiudicabit diabolum casurum esse, cur quæso illum creauit? Et cum aduersus Deum elatus ex angelo & luce caligo & diabolus factus sit, cur Deus non totum perdidit, sed permisit potius, ut etiam hominem deceptum longissime à Deo abduceret? quin etiam adhuc omnes homines incitat ad peccatum, qui peccantes priuantur gloria Dei & paradiso? Sed & alia plurima absurda malaque emerfura sunt, si unum aliquod absurdum concedatur. Decet igitur ut per fidem suscipiamus ea quæ à Deo facta sunt, nec ea inquisitioni & curiositati nostræ permittamus. Propter nimiam tamen curiositatem tuam, rationem aliquam huius afferemus: quæ si ueritati fuerit consentanea, gloria sit & laus Deo sanctissimo: in hunc quippe solum referenda, qui ueritatem omnem cognouit. Moses scribit, quin potius Deus per Moysen loquitur: *Diliges dominum Deum tuum ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis uiribus tuis.* Sed & Christus in Euangelio dicit: *Qui diligit me, diligitur à patre meo.* Item Esaias: *Hæc dicit Dominus, Num obliuiscetur mulier liberorum suorum?* Verumtamen & si obliuiscatur mulier, ego tamen non obliuiscar, dicit Dominus. Et reuera quidem euenire uidemus, ut Dei amor, quo homines prosequitur, multis modis parentum in liberos amorem exuperet. Debet igitur omnis homo plus quam matrem, patrem, uxorem, liberos, fratres, imò plus quam suam ipsius animam, Deum diligere. Omnis enim hominis uirtus, omnis que actio huc tendit, huncque finem sibi habet propositum, ut Deum diligat.

Et quantocunque illum amore profecutus fuerit, tanto & infinitis modis

Dent. 6.

Ioan. 14.

Es. 49.

cc

cc

cc

cc

modis maiore diligetur à Domino. Qua igitur ratione & quo denique facto cō-
 motus homo, eò intellectus peruenire poterit ut Deum diligat? Si nimirum
 hac meditetur, & animo suo reputet: En propter me peccatorem, transgreſ-
 ſorem diuinæ legis & præcepti, quem deceperat diabolus, longeq; à Deo ab-
 ductum occiderat, noſtram carnem geſtauit Deus, homo factus eſt, & pro-
 pter me mortem subiit, eiꝛq; mors uita noſtra facta eſt, eiꝛq; reſurrex-
 i mihi paradifum regnumq; quod amiſeram reddidit. Quod ſi hoc modo cō-
 ſiderare cœperit homo immenſum Dei in humanum genus amorem & cha-
 ritate, huiꝛ cōſideratione in amorem Dei deuenit, impletq; Dei præcepta,
 & uerba Euangelij: quibus ab ipſo completis etiã ipſe à Deo redamatur,
 cœli obſeruator mandatorum Domini. tuncq; impletur ſermo Domini per
 Moſem dictus, Diliges dominum Deum tuum ex tota anima tua, & ex tota
 cogitatione tua, & ex totis uiribus tuis. Impletur & Chriſti uerbum, quod di-
 cit, Qui diligit me, diligitur à patre meo: & qui diligitur à patre, diligitur
 etiã à filio. Vnus enim Deus eſt, & pater, & filius. Et hac de cauſa Deus
 homo factus eſt. Præterea olim prophetis locutus eſt Deus, & apparuerunt
 illis uiſiones: & nunc quidem in nube, ut ipſi Iob: nunc uero in igne & cali-
 gine, ut Moſi: alijs uero in aura tenui, ut Helia. quemadmodum & Oſeas
 oſe. 12. propheta dicit, Ego uiſiones multiplicauit, & in manibus prophetarum aſſi-
 milatus ſum. Aſſimilatus ſum, inquit, non uiſus ſum, ut pōte uiſiones adum-
 braturus. Nunc igitur cum humani generis amator ſit, & miſericors, homi-
 nemq; in tantum diligat quantum nulla lingua poteſt eloqui, nec ulla mens
 intelligere, quemadmodum antè per multifarias uiſiones ſeruis ſuis ſanctis
 conuerſabatur, ſic tunc per carnem ceu uelo intermediañte nobis conuerſa-
 tus eſt, et adhuc ſeruis ſuis & amicis eſt conuerſaturus, quemadmodum illud
 ante reſurrectionem ſuam ex mortuis, & poſt illam demonſtrauit. Quin &
 adhuc ſperamus, quotquot Chriſtum profiteſſumur, quod cum Dei filius &
 uerbum Deus fuerit, homo factus ſit, & in mundum ueniens non uenerit ut
 mundum iudicaret, ſed ut doceret mundum, quod ipſe ſit filius Dei, Deus
 nempe iſ qui à prophetis prædictus erat, & ut in illum crederent, omneſq; in
 illum credentes & baptizati ſaluarentur: qui uerò non crederent, condem-
 narentur. Rurſus autem certò futurum eſt, ut denuò redeat, non uelut antè,
 in uili figura, & ſtatu humili, homoq; quod externam ſpecie attinet, ſub qua
 Deus ſit intelligendus: ſed inſtar Dei manifeſti, & ceu unigenitus Dei pa-
 tris filius, in gloria ſua cū omnibus angelis, cunctiſq; ordinibus coeleſtium,
 quemadmodum Dauid dixit ſuperius, quod ueniat ad iudicandum terram,
 & ad iudicandum orbem. Quin & ipſum Chriſtum in Euangelijſ dixiſſe
 Math. 25. ſcriptum eſt, Quod uenturus ſit filius hominis in nubibus cœli in gloria ſua,
 & omneſ ſancti angeli cum eo. Tunc ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ, &
 congregabuntur coram eo omneſ gentes, & ſeparabit eos ueluti paſtor ſegre-
 gat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, iuſtos nimirum: hœ-
 Dan. 7. dos uero, id eſt peccatores, à ſiniſtris. Et dabit peccatoribus quidem poenam
 æternam, iuſtis uerò uitam ſempiternam, paradifum et bona omnia. Verūta-
 men et Daniel ſic dicit: Videbam donec throni ponerentur, et antiquus die-
 rum conſedit. Thronus eiꝛ quali flamma ignis, et rotæ eiꝛ ignis ardens:
 fluuius ignis trahebat præcedens illum. Mille millia miniſtrabant illi, et de-
 cies centena millia ſtabant ante illum. Iudiciũ conſedit, et libri aperti ſunt.
 Videbam in uiſione, et ecce cum nubibꝛ cœli ueniebat quali filius homi-
 nis,

nis, & usque ad antiquum dierum peruenit, & ante faciem illius allati sunt illi. Et ipsi data est potestas & gloria, & regnum: & omnes populi, tribus & linguae illi seruiunt, & potestas illius potestas sempiterna, quae non transibit, & regnum illius non corrumpetur. Horruit spiritus meus. Ego Daniel in uisione mea. Visiones capitis mei perturbauerunt me. Sed ecce diligenter observa, quae hic à propheta dicta sunt: Videbā, inquit, donec throni sunt apposti, & antiquus dierum cōsedit. Quis est antiquus dierum? Deus. Qui nā ministrauerunt, uel seruiuerunt illi, & qui nam sunt astantes illi mille millia, & decies centena millia? Omnes angeli. Quale est hoc iudiciū? Aliud nullū prater quod Dauid praedixit de Christo, quod ueniat ad iudicandū terrā, ad iudicandū orbē: & ipse Christus de se dicit, quod in illo iudicio iudicanda sit omnis terra. Vnū enim idemque est patris & filij iudiciū. Quis uero est fluuius ille igneus, quem ante antiquū dierum egredientem uidit propheta? Hic nimirum, qui diabolum & omnes peccatores excepturus est. Qui nam libri sunt quos apertos esse legimus? Ipsa nimirum hominum facinorā, quae omnia in die illo reteguntur. Quis uero est filius hominis, quē uidit in uisione sua Daniel uenientem in nubibus coeli, & pertingentem usque ad antiquum dierum? cui etiam datus est principatus, honor & regnum, & omnes populi tribus & linguae adorant illum, & seruiunt illi: & cuius potestas, potestas est sempiterna, quae non transibit, & cuius regnum non corrumpetur? Sufficiens certe haec prophetia est, ut etiam planē stupidum ad sensum meliorem perducere posset, ut intelligeret Christum filium & uerbum Dei esse, qui subuehens in altum hominem, quē assumpsit, subduxit illum in nubes coeli ad Deum & patrem suum: & huic datus est honor, potestas & regnum: & hunc adorant omnes angeli Dei: hunc etiam adorant omnes tribus & linguae, quemadmodum in superioribus prophetae prophetauerunt. Et ille quidem est, qui cōsedit ad dexteram Dei, iuxta Dauidis uaticinium, & huius regnum est sempiternum, quod non transibit: & huius est potestas, quae non corrumpetur. In alium uero hominem haec minime competunt. Nō enim homo ullus ante solem natus est: uerum solus filius & uerbum Dei, secundum quod Deus est, non secundum humanam illius naturam. Nullus enim alius hominum potestatem sempiternā et regnum inconcussū habere potest, prater solum hominem, quem assumpsit filius et uerbum Dei, qui ab illo etiam separari nequit. Haec omnia uidens Daniel, et admiratus haec, ut par erat, cum autem non posset magnum illud et inestimabile miraculum et mysterium percipere, dixit: Horruit spiritus meus. Ego Daniel in uisione mea. Visiones capitis mei cōturbauerunt me. Hunc uero, quo uiso Daniel ille magnus spiritu tuo horruit, & uisiones capitis sui cōturbauerunt eum, Musulmani Deum esse pernegant. Et quis tam stupidus, ut non uel maxime illos condemnauerit?

e QVOD